

dum naturam assumptam, ut ostenderet Filium, non Patrem, esse incarnatum. Ex quibus constat nec verba objecta intelligenda esse de Filio Dei secundum naturam divinam, nec ex allata epistola sola colligendam *S. Patris* mentem, nec ejus sententias accipiendas secundum verba, sed secundum circumstantias occasionis, quæstionis et scopi.

Ad 3^{um}. Negat TERTULLIANUS Deum ab æterno esse Patrem respectu creaturarum, non vero respectu Filii divini. Posterius patet tum ex dictis, tum ex L. contra Prax. c. 8., ubi ait: *Sermo et in Patre semper; sicut dicit: Ego in Patre: et apud Deum semper; sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum: et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia ego et Pater unum sumus.* Prius vero intelligitur ex instituto scriptiois; contendebat enim HERMOGENES Deum ab æterno fuisse Dominum, ideoque aliquid semper fuisse, cujus Dominus esset; ut hac ratione evinceret materiam esse Deo coæternam. Ad hoc refellendum TERTULLIANUS distinxit prædicata Dei duplicia; alia essentiæ, uti est substantia, spiritus etc.; et hæc semper fuisse declarat: alia potestatis, uti sunt attributa Judicis, Domini etc.; et hæc dicit cœpisse in tempore, quando scilicet ea, contra vel in quæ potestas exerceretur, esse cœperunt. His vero addit etiam prædicatum Patris respective ad creaturas sumptum, uti usurpabatur a Moyse Deuter. 32. 6. populum Israelis alloquente: *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Quæ contra Prax. c. 6. et 7. dicta sunt, spectant Verbum externum, non internum, seu Verbum relative ad generationem ejus externam et visibilem, non internam ac invisibilem. Ut enim supra de Athenagora notavimus, antiquorum plures, præter generationem Verbi æternam, ac Deo immanentem, admittebant sensibilem, et in tempore factam, qua Verbum divinum vel exteriori creationis verbo *Fiat* fuit manifestatum, vel externa quadam specie, et corporali forma assumpta paulo ante mundi opificium apparuit, et omnia creavit. Atque in hac acceptione dicitur sub mundi creationem Persona secunda *condi*, hoc est, manifestari; *feri par*, hoc est, par exteriori demonstrari; accipere *nativitatem*, scilicet exteriorem, quæ etiam, quatenus Verbum, quod ante erat absconditum et latebat, propalabat, *perfecta* appellatur.

Quod porro comparationes c. 8. allatas attinet, eadem ipsæ ac similes etiam a Postnicænis Patribus sine suspitione erroris usurpabantur, cum in iis paritas omnimoda non intenderetur. Usus autem iisdem est TERTULLIANUS, ut stantem cum unitate essentiæ distinctionem Personarum ostenderet. Tandem c. 9. Pater dicitur *tota substantia*, Filius *derivatio totius et portio*, non quasi pars tantum divinæ naturæ foret in Filium transfusa; cum sæpius hic et alibi testatus sit TERTULLIANUS, naturam divinam divisioni aut partitioni non subjacere: sed quia Pater est fons ac principium Personarum, Filius autem a Patre genitus et procedens. In hac autem principii ratione reponebatur ab Antiquis aliqua dignitas et auctoritas, ob quam PATRES SARDICENSIS in epist. synod. (Labb. t. 2. p. 694. E), ATHAN. Orat. 4. contra Arianos n. 58. HILARIUS L. 9. de Trin. n. 53. seqq. et alii verba illa Christi: *Pater major me est*, etiam de Christo, quatenus Filius Dei est, accipi posse cœnsuerunt. V. PETAVIUM de Trin. L. 3. c. 1. n. 8.

Ad 4^{um}. PHOTIUS ipse, quæ in Hypotyposeon libris damnat, non absolute tribuit CLEMENTI, dum ait (l. cit.): *Quamquam et alia nugatur, seu ipse, seu quis alius ejus personam indutus.* Hinc nec ausi sunt Ariani, e scriptis hujus Patris

pro se aliquid unquam laudare; et Rufinus in Apol. Origenis innuit scripta CLEMENTIS esse interpolata. Basilius, et eum secuti Gennadius ac Rufinus vel Dionysii apologiam non viderunt, vel ad solam Ammonio et Euphranori scriptam epistolam, illiusque duntaxat verba, omissa occasione et scopo, attenderunt. Unde potius credendum est Athanasio, qui, fragmentis Apologie prolatis, Dionysium singulari libro vindicavit, et Facundum Hermianensem L. 10. postea sequacem habuit.

294. *Observa.* Equidem haud diffitemur duriuscula quædam in Patribus occurrere; sed ostendimus illa, attentis propriis circumstantiis, facile emolliiri posse. Cæterum addimus, quæ HERON. in simili materia de Veteribus in Apolog. L. 2. n. 17. contra Rufin. scripsit in hæc verba: *Non statim illos Hæreticos judicabo: fieri enim potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel ab imperitis Librariis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certe, antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quedam et minus caute locuti sunt, et quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.* Quin nec unius alteriusque Antiquioris error, si etiam apertus foret, nec excusandus, nostro instituto repugnaret; quandoquidem *legitima Traditio* non paucorum, sed communi Patrum ac Fidelium sensu nitatur. Atque hinc nec laudavimus ORIGENEM, nec de ejus orthodoxia solliciti sumus. Usus quidem ejus testimoniis fuit ATHANASIVS in L. de Decr. Synodi Nic. contra Arianos: Apologiam pro eodem scripserunt EUSEBIUS PAMPHILI et RUFINUS, præter Recentiores Joannem Picum Mirandulanum, Sixtum Senensem, Jacobum Merlinum, Genebrardum, Petrum Halloix, et alios: proferuntur etiam non tantum ex libris a Rufino interpolatis, sed ex iis quos contra *Celsum* scripsit genuinis, orthodoxæ sententiæ. Sed fidem ejus admodum suspectam fecerunt, et damnarunt erroris non tantum HERON. in epist. 124. ad Avitum, EPIPHAN. in epist. ad Joannem Hierosolymit., AUGUSTINUS L. de Hæres. c. 43., Justinianus Imp. in epist. ad Mennam; sed et Alexandrina Synodus et Concilium Generale quintum Præterea Petavius L. 1. de Trin. c. 4., Huet. in Origenianis L. 2., Norisius de Syn. V. c. 2., et Natalis Alexander hist. Eccles. Sec. 3. Diss. 16. ex variis ejus scriptis, etiam contra *Celsum*, sententias aperte repugnantes Trinitatis mysterio recitant; quos, si lubet, consule.

ARTICULUS III.

QUINAM PRÆCIPUE HÆRETICI CIRCA MYSTERIUM SS. TRINITATIS ERRAVERINT?

295. *Nota.* Triplex circa hoc mysterium error a S. GREG. NAZ. OP. 2. 21. et 22. notatur: prior Divinitatis contradictionem, alter distractionem, posterior diminutionem aut negationem inducit. Ordinem ita errantium statuere quidem ex *Judeis*, *Gentilibus* et *Mahumetanis* licet: quoniam vero nec errantes hujusmodi, utpote a baptisate ac fide Christi alieni, ad Hæreticorum classem referri possunt, nec errores isti tam ex Trinitatis mysterio, quam aliunde ortum habent, pluribus hic de illis agere non videtur ad propositum. His itaque prætermissis, aliorum duntaxat *Hæreticorum* errata secundum memoratam classium seriem breviter exponemus, qui vel distinctionem

Personarum sustulerunt, vel unitatem naturæ violarunt, vel Divinitatem Personis negarunt: unaquæ subjungemus PATRES aut solitarios, aut in Conciliis congregatos, qui nascentibus hujusmodi Sectis veritatem Catholicam opposuerunt.

296. Dico I. Negata pluralitate unam duntaxat in Deo Personam admitterunt:

SEculo I. SIMON MAGUS, de quo Actor. 8. legitur: *Is, cum se magnam Dei virtutem esse jactaret, ac teste S. AUG. L. de Hæres. c. 4. (in nota) diceret, se in monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos venisse, hoc ipso Patrem, Filium, et Spiritum sanctum distinctas esse Personas negabat.*

SEculo II. ÆSCHINES, et PRAXEAS gente Asiaticus, Montani quidem olim discipuli, sed singularis postea hæreseos inventores. De ÆSCHINE TERTULL. Lib. de Præscript. c. 53. hæc scribit: *Privatam autem blasphemiam illi, qui sunt xaxà Æschinem, hæc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium et Patrem.* De PRAXEA vero ita subjungit: *Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum, passumque contendit et mortuum; præterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam.* Similia in Lib. contra Praxeam commemorat.

SEculo III. NOETUS referente AUG. L. de Hæres. c. 36., *Christum eundem esse Patrem et Spiritum sanctum dicebat; unde teste EPIPH. Hæres. 57. passum esse Patrem non dubitavit asserere.* SABELLIUS, Theodoro L. 2. Fab. Hæres. interprete, dicebat: *Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unam esse hypostasim, et unam personam, quæ tria habet nomina, et eundem aliquando quidem vocat ut Patrem, aliquando autem ut Filium, aliquando vero ut Spiritum sanctum etc.* PAULUS SAMOSAT. ut EPIPHANUS Hæres. 65. exponit, *sensit, Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum esse Deum..... Ita unus, inquit ille, Deus est: neque aut Pater est Pater, aut Filius est Filius, aut Spiritus sanctus Spiritus est sanctus: imo vero Deus unus est Pater, et hujus in ipso Filius, ut est in homine sermo.*

SEculo IV. PHOTINUS ex Epiphano Hæres. 71. dicit, *Deum singulum esse et solitarium, et more Judaico confitendum; Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi aut Spiritus sancti putat esse personam.* PRISCILLIANUS apud Leonem epist. 15. ad Turrub. c. 1. asserebat: *Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam atque eandem esse Personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit qui genuit; alius qui genitus est; alius qui de utroque processit: sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non in tribus sit accipienda Personis.*

Hæreticis istis commune etiam nomen adhæsit, quo *Patropassiani* dicebantur, propterea quod et apertis verbis, et ex doctrinæ suæ sequela Patrem divinum esse passum profitebantur. *Paulianis* tamen, *Photinianis* et *Priscillianistis* hoc nomen non conveniebat ob rationes contrarias. Ut enim ex Leontio, Philastrio, et Mario Mercatore discimus, *Paulus* Verbum et Spiritum sanctum dupliciter spectabat; 1º. ut sunt in mente et corde Dei; et sic dicebat a Patre esse indistincta, sicut homo unus est cum suo verbo: 2º. ut Verbum est exterius prolatum, et Spiritus externe spiratus; et sic utrumque

dicebat distinctum, non tamen vivam subsistentiam et personam. Porro non dicebat, Deum Patrem immediate per suam subsistentiam fuisse unitum Christo, sed solum per Verbum prolatum; adeoque nec in se esse passum, nec in Verbo, utpote quod in passione a Christo discessisset, et ad se reversum docebat. Simile discrimen in errore *Photini* colligitur ex Anathematismis Concilii Sirmiensis, et in *Priscilliani* hæresi ex epistola S. Leonis laudata.

Inter oppugnatores expositi erroris imprimis numerandi sunt Patres et Scriptores, quorum verbis dogmata perversa hactenus et recitata et improbata dedimus. Præterea TERTULLIANUS contra *Praxeam*, et HIPPOLYTUS PORTUENSIS Martyr contra *Noetum* singulares scripserunt libros; DIONYSIUS autem ALEX. epistolas contra *Sabellium*, et ATHANASIUS Orationem adversus *Sabellii Gregales* ediderunt. Reliquis opposuerunt se Patres plures in Conciliis, quorum duo celebrata sunt contra *Paulum Samos.*, alterum anno 264, alterum anno 270.; contra *Photinum* itidem bina, Mediolani anno 347., et Sirmii an. 349.; contra *Priscillianum* Cæsaraugustæ anno 380., quod postmodum exceperunt Toletana duo anno 400., Hispanica duo temporibus S. Leonis, et Bracarense II. anno 569. contra *Priscillianistas* coacta. Huc referenda sunt Concilia Generalia Nic. I. et Constantinop. I., quorum illud Baptisma *Paulianistarum* rejicit, hoc *Sabellianos* damnat.

297. Dico II. Qui unitatem divinæ naturæ violarunt, vel *Triformes*, vel *Tritheï*, vel *Tetratheï* vocantur, discrepantque inter se tum tempore, tum errore:

Triformium sine nomine Auctoris ex PHILASTRIO Hæres. 93. meminit S. AUG. L. de Hæres. c. 74. his verbis: *Est alia, quæ triformem sic asserit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, hoc est, quod Dei unius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem, velut ex iis tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in seipso Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus.* *Tritheitarum* Auctor habetur *Joannes Philoponus*, qui, dum circa annum 580. pro Eutychetis errore contra Catholicos pugnaret, vi disputationis et consequentia, eo est abreptus, ut in divinis tres singulares naturas ac individuas substantias, quæ sint una natura specifica, non minus quam tres hypostases assereret, et profitendas teneret, ut PHOTIUS in Bibl. Cod. 24., et NICEPHOR. L. 18. c. 47. referunt. Idem NICEPHORUS c. 49. circa finem seculi sexti *Tetratheos* collocat, et ab auctore vel sectatoribus *Severitas*, *Angelitas* et *Damianitas* appellans, ita eorum errorem exponit: *Alium esse dicunt Patrem, alium Filium, alium Paracletum Spiritum, videlicet Sanctum, non esse autem horum quemque per se ipsum naturam, sed habere communem Deum sive Deitatem in eis existentem, atque de ea Deitate indivisibili modo participantes, quemlibet esse Deum.*

Hunc *Tetratheorum* errorem in *Magistri sent.* L. 1. Dist. 5. videre sibi visus est JOACHIMUS Monasterii Florentis Abbas, in divinis quidem Scripturis eruditus, sed in subtilibus fidei dogmatibus nonnihil rudis: quem dum in Libello de Trinitate contra Petrum ad finem seculi 12. edito confutare contendit, in alium errorem ipse incidit, quo unitatem essentiæ trium personarum esse veram, realem ac simplicem negabat, asserens *similitudinariam* duntaxat, *collectivam*, et quasi ex pluribus congregatam, sicut multi

homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia dicuntur. Eum libellum et errorem haud multo post Concilium Lateran. IV. damnavit, salva tamen JOACHIMI persona, utpote qui illam hæresin cum pertinacia non defendit, sed iudicio Ecclesiæ sua scripta, seque scripto publico subiecit.

298. *Dico III.* Inter Personas divinas, Filio et Spiritui sancto divinitatem negarunt tum Hæretici omnes qui unam duntaxat in Deo personam statuerunt; tum *Cerinthus*, *Ebion*, aliique qui Christum pro puro homine, Spiritum sanctum pro efficacia vel quacumque creatura habebant. Præcipue tamen Verbi ac Filii Divinitatem impugnavit sub seculi quarti initium *Arius*, qui primo a schismate Meletii secedens, ordinatus a S. Petro Alex. Diaconus; ab eodem ob reditum ad schisma ex Ecclesia pulsus, subinde tamen in Ecclesiam receptus ab Achilla, ac Presbyterio ornatus, Parochiæque Baucalensi præfectus, tandem, quod Alexandrum in Episcopatu Alexandrino sibi prælatum ægre ferret, anno 317. in hæresin apertam erupit, asserens solum Patrem esse verum Deum, non tamen fuisse semper Patrem; Filium seu Verbum non esse Patri consubstantialem, nec verum Dei Verbum, aut veram Dei Sapientiam, nec fuisse semper; sed esse creaturam perfectam, ex nihilo scilicet, seu non extantibus productum, participatione tantum et principatu gratiæ Deum nominatenus dictum, et ortum in tempore, seu fuisse tempus cum non esset: quos errores tum verbis disputando protulit, tum in *Thalia*, quæ mollis ac impura ejus cantilena erat, scripto expressit. Ejus sectatores progressu temporis in tres factiones divisi sunt.

1^a. Complectebatur Arianos puros et rigidos, recensitis modo erroribus tenacius addictos. Hi *Anomæi* dicti sunt, quod Filium Patri *ἀνόμοιον*, hoc est, dissimilem in omnibus contenderent; inter quos præcipui fuere *Aetius*, *Eunomius*, unde et *Aetiani*, *Eunomiani* vocabantur: quibus adhæserunt Valens, Ursacius, Germinius, Auxentius Mediolanensis, et alii. 2^a. Qui *Semiariani* dicebantur; quia Filium quidem Patri *ὁμοούσιον*, hoc est, similem in essentia asserebant; *ὁμοούσιον* autem, hoc est, consubstantialem, seu ejusdem substantiæ cum Patre negabant; qua assertionem ab Arianis, et negationem à Catholicis differebant. Inter eos eminuerunt *Basilium Ancyranum*, *Macedonium Constantinop.*, *Meletium Antioch.*, *Georgium Laodicenum* etc. 3^a. Fuit illorum, qui Filium Patri nec *ἀνόμοιον*, nec *ὁμοούσιον*, nec *ὁμοιοῦσιον* volebant, sed tantum *ὁμοιον*, hoc est, similem, non quidem in *ὄστυ* seu substantia et natura, sed in alia quadam ratione. Hi vocabantur *Acaciani* ab auctore *Acacio* Episc. Cæsar., quem privatæ cum CYRILLO Hierosolym. inimicitiae ex Semiariano singularis factionis principem fecerunt.

Nascentem Arii hæresin in Alexandrina centum Episcoporum Synodo S. Alexander statim quidem confixit, sed non extinxit. Receptus enim in communionem *Arius* ab Eusebio Nicomed., hujus artibus, et Constantiæ Augustæ patrocínio, in gratiam Constantini M. adeo irrepsit, ut is S. Alexandrum velut auctorem turbarum reprehenderet. Ad sedandas tamen Ecclesiæ turbas Imperator postmodum effecit, ut primo quidem Concilium Alexandrinum II. deinde Oecumenicum Nicænum I. an. 325. congregarentur, in quorum utroque iterato Ariana hæresis damnata fuit. Successerunt per quadraginta annos et amplius varia Concilia, *Arianorum* præsertim opera et

artibus coacta, quæ illi *Arii* restitutionem, S. ATHANASII velut præcipui *Arianorum* oppugnationem, formularum fidei innovationem tentabant, et sæpius etiam obtinebant; ad extremum tamen in variis Conciliis particularibus, ac in Generali II. hæresis ista ex Oriente penitus profligata fuit, in Occidente non nisi seculo septimo extinguenda.

Quamquam *Arius* cum suis SPIRITUI SANCTO diversam a Patre et Filio naturam assigneret, præcipuus tamen Divinitatis Spiritus sancti hostis et impugator habetur *Macedonius*, asserens eum non esse ejusdem cum Patre et Filio substantiæ ac honoris participem, sed utriusque creaturam, imo famulum et ministrum. Semiarianorum opera, quorum ipse partes tenuerat, et Constantii Imp. favore, depulso non sine magna Orthodoxorum cæde PAULO, ad sedem Constantinop. venit; sed gratia Imperatoris postea exutus, ab Acacianis etiam in Conciliabulo Constantinopolitano Episcopatu depulsus, in locum quemdam juxta Urbis Regiæ portas secessit. Ibi Ariano quidem deposito, Filium Patri *ὁμοούσιον* est professus; sed an. 360. suam hæresin protulit, quæ Constantinopoli facile suscepta, Bithyniam, Thraciam, Helespontum, et alias Provincias pervagata, plures sectatores habuit, maxime autem *Marathonium* Episcopum Nicomed., qui nascentem sectam pecunia juit, *Basilium Ancyranum*, *Eustathium* Sebastenum, et alios plerosque Episcopos, non multo ante ab Acacianis cum *Macedonio* depositos, qui communi nomine *Pneumatomachi*, ab auctore *Macedoniani*, a fautore *Marathoniani* nuncupabantur.

Confutata fuit hæresis ista a S. ATHANASIO ep. 1^o. ad Serapion., a S. BASILIO L. 5. cont. Eunom., et de Spir. S. ad Amphiloichium, a S. GREGORIO NYSS. L. de SS. Trin., et ab aliis: damnata primum in Synodo Alex. an. 362.; dein Illyrica an. 367., tum in duplici Romana sub DAMASO P. celebrata, demum in Concilio Oecum. II. ubi editum est SYMBOLUM, quod nunc canitur in Ecclesia, et majorem tantum Nicænæ formulæ explicationem continet.

299. *Observa.* Præter *Petr. Abailardum*, cujus errores tum Sabelliani et Ariani, tum alii in Conciliis Suessionensi an. 1220., et Senonensi an. 1240. celebratis damnati sunt, perversa dogmata fere omnia posterioribus seculis renovarunt *Antitrinitarii* recentiores. Eorum Duces præcipui prodierunt e secta *Lutheri* et *Calvini*, in eo conspirantes quod tres negarent ejusdem substantiæ in Deitate Personas, Patremque solum profiterentur verum esse Deum: non uno tamen modo impios hos errores iidem tradebant. Inter eos, qui hujus hæresis circa annum 1561. parens extitit *Michael Servetus*, agente *Calvino* Genevæ exustus, ad Paulum Samosatenum; *Valentinus Gentilis* an. 1565. Bernæ capitis damnatus, ad Tritheitas propius accessit. *Faustus Socinus*, post *Lelium* patrum, maximus hæreseos disseminator, explicativus Filium Dei non proprie, sed metaphorice Deum dici, Spiritum sanctum non esse Personam, sed virtutem et efficaciam Dei asseruit. Sectatores ab hæresi dicti sunt *Trinitarii* et *novi Ariani*, a ducibus *Servetiani*, *Valentiniani* etc., communius autem *Sociniani*, a provincia *Transilvani*; atque etiamnum variis in locis, præsertim in Hollandia et Anglia numerantur, quos inter plures sunt qui *Deistæ* vocari amant.

QUÆRES I. An Marcellus Ancyranus, Eusebius Cæsareensis, et Basilius Magnus jure accusentur erroris circa Trinitatis Mysterium?

300. Nota. MARCELLUS Ancyrae Episcopus, et in Concilio Nic. Arium damnando, et post illud variis in occasionibus Arianos aversando, horum odia incurrit, quæ tandem occasione libri a se contra Asterium Sophistam scripti diu multumque sensit. Cum enim in eo ex contradicendi æstu vel reipsa in oppositum errorem laberetur, vel labi videretur Arianis, ab iisdem, in Conciliabulo primum Hierosolymis an. 336. celebrato, Sabellianismi et Paulianismi accersitus, dein anno altero Constantinopoli damnatus ac depositus est, substituto illi Basilio. MARCELLUS opposita provocatione Romam ad Julium P. confugit, ubi cum Adversarios suos sesquiannum frustra expectasset, oblato fidei suæ libello absolutus, in Orientem rediit, atque in Sardicensi postea Synodo sedi suæ est restitutus; quanquam rursus ab Arianis deinde fuerit exclusus, et prior successor in ejus locum suffectus. Quinque autem præcipui errores ei imputabantur; 1º. Verbum Dei unam esse cum Patre Personam: 2º. assumptum esse a Deo hominem eatenus, quatenus Verbum externum et prolatitium fuerit carni conjunctum; adeoque sola actione et efficientia Deum esse collatum, et homini copulatum: 3º. hanc conjunctionem finem habituram post Resurrectionem, et destituta carne Verbum ad Patrem rediturum: 4º. Verbum ante assumptam carnem necdum fuisse Filium Dei, sed tunc Filium esse factum, quando caro factum est: 5º. nec Verbum ex sese imaginem Dei esse, sed hoc illi competere propter assumptam hominis naturam.

EUSEBIUM, ob amicitiam cum Pamphilo Martyre contractam, dictum Pamphili, Cæsareæ Episcopum, fuisse Ario semper, et S. ATHANASIO fuisse infestum, nemo non fatetur. Præterea vero facile tum ex scriptis ejus ante Nic. Concilium, maxime libris *Præparationis* et *Demonstrationis Evangelicæ*, tum ex impetu, quo primum Nicænæ formulæ et voci *consubstantialis*, nonnisi postredie a se subscriptis, restitit, colligitur eum non studium duntaxat, sed et errorem Arii antea habuisse. An vero et post Nic. Synodum *Arianus* ipse fuerit, hic quæritur.

S. BASILIUS D. Gregorii Nazianzeni amicissimus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, cum non minus sacrarum litterarum celebritate et integritate doctrinæ, quam disciplinæ studio, rectaque vivendi ratione vere *Magnus* appellari mereretur, effugere non potuit, quominus de Spiritu S. male sensisse ac dixisse etiam tum a Monachis Ponticæ solitudinis, tum ab Athanasio Ancyrano, et aliis etiam post fata censeretur.

301. Dico I. Admodum probabile est, MARCELLUM Ancyranum integræ fuisse fidei.

Prob. Integræ fidei censendus est is, cujus professio sana est, et erroribus objectis contraria; cujus innocentia declarata est a Judicibus legitimis, cujus integritas laudata ab auctore cœvo, omni exceptione majori: talis est Marcellus; ergo.

Prob. min. p. 1ª. Duplex fidei expositio Marcelliana habetur (ap. Epiphani. her. 72. n. 2. 10. 11.); altera Julio Papæ oblata sic habet: *Sacris Litteris*

inhærens, credo unum esse Deum, et unigenitum ejus Filium Verbum: qui cum Patre semper existit, nec existendi initium ullum unquam habuit. Idem revera a Deo procedens, non creatus, non factus, sed existens semper, ac cum Deo Patre perpetuo regnans: cujus regni, ut testatur Apostolus, non erit finis... Hic est, qui postremis temporibus nostræ salutis gratia descendens, et ex Virgine Maria genitus, hominem suscepit: altera a Marcelli discipulis tradita orthodoxis Episcopis, universim damnat Arianam hæresin, et Sabellii ac Photini, Paulique Samosatani, una cum iis, qui sanctissimam Trinitatem tres esse Personas negant, nullis terminis circumscriptas, subsistentes, consubstantiales, æternas, perfectas; et speciatim hos anathematismos subjicit: Si quis eundem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse dicit, anathema sit. Si quis initium aut finem Dei Filio ac Verbo vel regno ipsius adscribit, anathema sit. Sed in his plerique errores objecti rejiciuntur; ergo.

Prob. p. 2ª. JULIUS P. in epist. ad Orientales (Labh. t. 2. p. 507 E.) ita scribit: *De Marcello, postquam de illo quoque ut impio in Christum perscripsistis, vobis studui significare, eum, cum huc venisset, affirmasse falsa esse quæ de se in litteris vestris scripta essent; sed tamen cum a vobis postularetur ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet eum nihil a veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate, qua Ecclesia, de Domino ac Salvatore nostro sentire; neque jam tantummodo, sed etiam olim hujus sententiæ se fuisse confirmabat; uti et nostri Presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur... De viro igitur, quem rectæ opinionis, et sinceræ religionis esse, testimoniis approbatum est, quid quæso nos facere oportuit, nisi ut eum pro Episcopo habere-mus, quemadmodum et habemus, neque a communione repelleremus? PATRES autem Concilii Sardicensis, in epistola synodica (Labh. t. 2. p. 674. E.) sic pronuntiant: *Recitata quoque sunt scripta Collegæ nostri in sacris Marcelli, et deprehensa est Eusebii dolosa ars. Quæ enim Marcellus per modum quærentis protulerat, eâ tanquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata propterea sunt in illis, quæ antecederent et subsequerentur in illis questionibus; et inventa est bona et recta fides istius viri. Sed hi fuerunt Judices legitimi non propter auctoritatem et jurisdictionem solum, sed propter singularem pro hac causa examinanda et decidenda implorationem et convocationem; ergo.**

Prob. p. 3ª. S. ATHANASIO MARCELLUM ferte ubique sublevat, et ab Arianis per calumniam accusatum contendit, ut videre est in ejus Apologia 1., et in hist. Arian. ad Monachos, quo postremo loco (n. 6.) hæc scribit: *De Marcello autem Episcopo Galatiæ supervacuum fuerit fortasse mentionem facere; cum nulli non constet, Eusebianos ab eo de hæresi reprehensos, hæresios recriminationem pro talione illi vicissim impegisse, senemque hominem in exilium eiecisse. Ille autem Romam profectus, sese innocentem docuit, et, ut jussus ab illo fuerat, scripto suam fidem, quam Sardica Synodus amplexa est, edidit. Athanasio autem illa ætate sive in dignoscendis, sive in insectandis contra Trinitatem Hæreticis exercitiorum habemus neminem.*

302. *Nec dicas* 1º. Viri auctoritate gravissimi, et numero frequentes fidem MARCELLI Ancyrani suspectam reddunt, imo hæresis aperte arguunt. Nam 1º. SOCRATES L. 1. Hist. Eccles. c. 36. asserit Marcellum, dum Asterium vehe-

mentius impugnaret, lapsum in Pauli Samosatani hæresin; cui SOZOMENUS L. 2. c. 33. concinit, 2º. SEVERUS SULPITIUS L. 2. Histor. sacræ, et THEODORETUS L. 2. Hær. Fab. c. 10. eundem Sabellianæ hæresis participem faciunt. 3º. CHRYSOSTOMUS hom. 2. in epist. ad Hebr. n. 1. 2. seqq. MARIUS VICTORINUS Lib. 1. adversus Arium n. 22. et MARIUS MERCATOR in ep. de discrim. Nestorii et Paul. Samos. n. 4. adjungunt Photido MARCELLUM. 4º. EPIPHANIUS Hæres. 72. imprimis ex eo, quod MARCELLUS edita fidei professione ab hæreseos suspicione se purgaverit, colligit eum fuisse hæreticum; ac dein etiam, *quod se cum Sabellio sentire declaraverit cum voluit quedam diffusius dicere, inter Hæreticos annumeratum et confutatum dicit.*

R. Qualiæcumque horum testimonia nihil elevant momenta nostra; cum asseramus testes et iudices, qui examinando MARCELLI librum, ejus professionem fidei et expositionem accipiendo ipsumque audiendo longe accuratius causam examinarunt: dum alii id non potuerant sive loco, sive tempore remoti, ac universim hac opportunitate destituti.

Ad 1^{um}. R. SOCRATES auguratus est tantum, deceptus Eusebii adversus MARCELLUM libris, de quibus loc. cit. ait: *Quin etiam librum ejus Eusebius tribus libris confutat, perversamque ipsius coarguit opinionem.* Item: *Marcellus postea in Concilio Sardicensi cum librum a se editum neutiquam intellectum esse diceret, et ob eam causam se in suspicionem vocatum, quod cum Paulo Samosateno sentiret, Episcopatum recuperavit. Sed quid nos de isto auguremur, dicemus suo loco.* SOZOMENUS Socratem hic, uti in aliis more suo est secutus; quin et paulo mitius de MARCELLO sentit, dum ex odio Ariariorum conflata illi calumniam dicit, et hæc addit: *Cui (Asterio) Marcellus contradicens in opinionem Pauli Samosatani, seu sponte seu imprudens, nescio, delapsus est. Verum postea cum in Concilio Sardicensi ratione ostendisset se haudquaquam ita sensisse, ad Episcopatum denuo restitutus est.*

Ad 2^{um}. et 3^{um}. R. Hos omnes et falsis rumoribus, et Eusebii libris contra MARCELLUM scriptis fuisse deceptos; qui in illis error ob distantiam temporis intercedentem meretur veniam. Quæ SEVERUS SULPITIUS de sententia suspensionis ab ATHANASIO contra MARCELLUM lata adjungit, responsione ad HILARIUM auctoritatem danda solvuntur.

Ad 4^{um}. R. Illatio ex priori EPIPHANII loco allata est illegitima; cum alias Dionysius Alexandrinus, et ipse S. Athanasius hæreseos jure arguerentur. Posterius assertum non est ipsius EPIPHANII sententia, sed opinio aliorum ab eo duntaxat hic relata; cum exposita opinionum diversitate fateatur, *uni Deo cognita esse quæ in Marcelli animo fuerunt occulta.*

303. *Nec dicas* 2º. S. HIERONYM. L. de Scriptor. Eccles. c. 97. ait: *Sed et Hilarius in septimo adversus Arianos libro (de Trinit. L. 7. n. 3.) nominis ejus (Marcelli) quasi hæretici meminuit.* HILARIUS vero ipse in Fragmento II. tria de MARCELLO refert: 1º. Eum ab Athanasio damnatum esse et abstentum, dum hæreticus erat agnitus (n. 21). 2º. Eundem non esse judicatum hæreticum ex libro contra Arianos scripto, sed quod post Sardicense Concilium multa protulerit Photinianæ postmodum hæreseos capita et fundamenta (ib.). 3º. MARCELLUM ipsum ab ingressu Ecclesiæ post illam Athanasii sententiam se abstulisse; cum vero ab aliis inter hæreticos accensum, ne daretur Arianis occasio, latum pro Athanasio a Sardicensibus judicium

convellendi, si simile pro Marcello datum acrius defenderetur (ib. n. 22. 23.). Demum BASILIUS epist. 52. (al. 69. n. 2.), 74. (al. 263. n. 5.), et 78. (al. 123. n. 1.), aperte damnat Marcellum hæresis, subjungens in epistola prior: *Et hujus experimentum ac demonstrationem reconditi apud me iniquæ illius syngraphæ libri continent etc.*

R. Nec isti Patres præ ATHANASIO audiendi sunt; cum prior tempore, posteriores loco remoti fuerint, atque hi ipsi in assignanda hæreseos sede inter se pugnent. Præterea HIERONYMUS non suam, sed HILARIUM sententiam refert, quæ ipsa tamen nihil decernit; cum laudato HILARIUM loco hæc duntaxat habeantur: *Impie multos ad unius Dei professionem Galatia nutrivit.* HILARIUM narratio verisimilitudine caret, sive dum scribit MARCELLUM Athanasio factum suspectum ob doctrinam pravam post Sardicense Concilium sparsam, *qua hæresis Photiniana via querebatur*; cum Photinus jam ab anno 345. et sic ante illud Concilium virus suum sparserit: sive dum MARCELLUM ab ATHANASIO communionem separatam dicit; cum honorificam de MARCELLO commemorationem supra relatam ATHANASIO fecerit an. 357., et in Apologia prior ad Constantium eundem recenseat inter alios Sanctos et Catholicos Episcopos, quorum deplorat exilium; ad quæ tamen tempora illa excommunicatio referenda foret.

A BASILIO MARCELLUM quidem etiam ex illius scriptis pro hæretico fuisse habitum fateor: sed nihil facilius quam obscuras quasdam phrasas in prævum accipere sensum, si eæ partim ab aliis ad hæreseos suæ defensionem proferantur, ut hic factum est a Photinianis; partim ab aliis arguantur erroris, ut ab Eusebio et Arianis actum est: in neutro autem casu audiatur expositio præsentis Auctoris.

304. *Nec dicas* 3º. S. EPIPHAN. cum loco supra cit. n. 4. retulisset, quod ATHANASIO interrogarit, quid de MARCELLO sentiret, hæc addit: *Ille neque ipsum defendit, neque graviter adversus ipsum invectus est; at solum risu leni edito ostendit, non multum ab improbitate ipsum abhorruisse, et in eorum loco, qui se purgassent, habuit.* Quin ipse S. ATHAN. in Oratione, quæ inscribitur: *Quod unus sit Christus*, n. 2. inquit: *Quod si exacte animadvertas, apprehendes eos extra Trinitatem summovere D. N. Jesum Christum, ut mancipium, ut hominem inadorabilem ac potius adorantem, et una cum cæteris omnibus inservientem, et subjectum sanctæ Trinitati, ut Marcellus et Paulus Samosatensis interpretantur.*

R. Nec ATHANASIO istud dubium factum, nec nuda MARCELLI ad exemplum inducti commemoratio elidit magnifica testimonia ex Apolog. et hist. Ariani ad Monachos laudata. Præterea vero ex EPIPHANIO conficitur quidem MARCELLUM visum multis fuisse a Sabelliana hæresi non admodum remotum; sed eam tamen a se suspicionem detersisse, ubi coram Julio Pontifice, et in Synodo Sardicensi ejus fides et scripta accuratius examinata fuere. Oratio autem illa, *Quod unus sit Christus*, seu potius, ut ex ejus fine colligitur, homilia quadam in Natalem Domini, secundum peritiores Criticos, nec ATHANASIO est, nec Auctoris Athanasio cœvi; ut illi tum ex ornatiore stylo, quam qui Athanasio proprius sit, tum ex ternarum in Trinitate hypostaseon mentione colligunt, cum unam duntaxat in S. Triade hypostasim in Athanasii libris invenire liceat.